

quod suum est, debito modo quærat, ipsique, quod ipsius est, quam obsequentissime reddat. Et sic religionis Christianæ praxin commendat cum a facilitate ac utilitate summa, tum a sanctimonix studio.

2. Et cum in religione christiana omnia redeant ad salutis fundamentum ac ordinem, *fides* fundamentum respicit, *fidelitas* ordinem. Jam quemadmodum sine fundamento corruiit universa structura, sic sine *fide fidelitas*. Et sicut fundamentum frustraneum est sine structura, ita *fides* sine *fidelitate* evanescit, utpote imaginaria.

3. Notum est, rem in theologia esse summi momenti, doctrinas de *justificatione* & *sanctificatione* nec confundere, nec disjungere, nec alterutram, multo minus utramque, negare. Quod si *fidei* ac *fidelitatis* servas æquilibrium, utramque doctrinam servas integerrimam. Quid? quod ipsa istarum vocum notio grammatica nobis, quod res est, insinuat. Uti enim vox *fides* ex se gignit vocem *fidelis*, *fidelitas*: sic *justificatio*, si genuina est, *sanctificationem*, *fidei* ἐνεργεία in ipsa *fidelitate* fecundissimam.

4. Nec ignotum est, Dei gratiam esse forensam & medicinalem, uti culpæ ad pœnam ducenti, ita etiam in hærenti labi oppositam. *Fides* in forensi, *fidelitas* in medicinali gratia recte adhibenda nunquam non est occupata. Sed de nexu gratiæ forensis & medicinalis, volente Deo in peculiari dissertatione agetur.

PRAE